

1714.

1<sup>o</sup> et 2<sup>o</sup> Gramm, Michael : De cibis statibus . . . 29 exempl.

1. Harpprechtus, Ferdinandus Christofe : De rerum decoctioni  
et decoctionis candidato venditorum vindicatione

3<sup>o</sup> et 4<sup>o</sup> Harpprechtus, Ferdinandus Christofe : De pignore publico.  
2 exempl.

5. Harpprechtus, Ferdinandus Christofe : De simultanea  
successione Germani et anglosaxoni fratris in fratre  
communi familiaribus.

5. Mayius, Brucker Theop. : De restitutione in integrum  
contra rem judicataem

6. Schwererus, Gabriel : De pari nexu civitatum Imperii.  
Nam cum S. R. imperio.

1715

1. Gramm, Michael : De nexu ordinis equestris  
immediati in Sacra Franconia et terra Rhenum  
erga Caesarem et imperium

1715

2. Haerlin, Johann Gottlieb: Usus. Theorico-practicus doctrine.  
Lionis rerum in mobiliis et immobiliis.
3. Moegling, Jacobus Jacob: De electione certar personarum  
industrialium
4. Schröderus, Gabriel: De votis decisionis civitatis  
Imperialium in Sacri Romani Germanici imperio  
comitiis universalibus
5. Schröderus, Gabriel: Pantheus controversie ex  
jure publico imp. Rom. Germanici.

1716

1. Camerarius, Rudolphus Jacobus: De febribus.
2. Gramus, Michael: De auctorita ac reverentia
3. Gramus, Michael: Annotations et animadversiones 10  
quae sum ... in ordinatiores censorias Berlin-  
ensem ... in specie qua delicta carnis.
4. Gramus, Michael: Conclusiones iuridicae inaugurales.
5. Gramus, Michael: De impensis in reu alienam factis  
maxime in modo estimandi et reportandi consideratis

1716

6. Hillerus, Christianus Henricus: *Pigmentum tuberculorum quartae speciei practicae rite conventionalis*
7. Moeslinus, Jacobus David: *Collatio iuriis et iuris  
Romani cum iuris iuris suorum. Halensis circa  
menses et successores et successores. conjugem.*
- 8<sup>a</sup> et Schreyff, Wolff. Adam: *De scriptum praescriptione  
extinctiva et sumpt. 1716 : 1785.*


9. Schröderus, Gabriel: *Collatio succincta capitaliorum  
caesuriorum post Westphalicam pacem huiusque publi-  
cationum cum projecto perpetuas capitaliorum  
comitati.*

10. Schröderus, Gabriel: *De autoritate publica et  
firmitate seu hypothecae publicae constitutione  
necessaria*











18. 1714, 1a

# AUSPICII LOCO Summos in Utroque Jure DOCTORIS Honores ac Privilegia prensans, Theses Selectiores ex materiâ *DE* LITERIS STATUS

*Von*  
**Staats-Brieffen/**

Ipsô Triunô *Auspice,*  
*Consentiente ac permittente*

*Magnifico atq; per-inclito in Illustrißimâ*

*EBERHARDINA JCOTORUM ORDINE,*  
*PRÆSIDE atque actum dirigente*

*VIRO Prenobilitissimo, Amplissimo, Consultissimo*  
*& Excellentissimo,*

**DN. MICHAELE GRASSO, U.J.D. &**  
Professore dudum Famigeratissimo, Sereniss.

Würtemb. Ducis Consiliario Gravissimo,

*Dn. Patrono, Praeceptore, Promotore atq; Hospite suo,*  
*ob summa in se suaq; studia collata merita summe*  
*sancteque per etatem colendâ,*  
*Publicè disputandas proponit*

**JOHANNES JACOBUS Helfferich/ Göppingensis,**  
Ad diem *Maij, Ann. MDCCXIV.*

*TUBINGÆ,*

Exscribebantur Literis SIGMUNDIANIS.



A. 1521. C. 1. L. 1. O. 1. O.

Scimusque ex Quatuor Iustis  
Iustitia nostra habemus ex Prudentia  
Prudentia nostra ex Fortitudine  
Fortitudo nostra ex Misericordia

2 U T A T S 2 T A T U S

U T A T S 2 T A T U S

D. 1. M. I. C. H. A. E. H. B. R. V. S. O. U. D. 2.

Hoc hunc quidam Iustitia et Fortitudo

Ad pugnandum Contra eum, ut possit

L

P E

SERENISSIMO atq; POTENTISSIMO  
PRINCIPI ac DOMINO,  
DOMINO  
**EBERHARDO**  
**LUDOVICO,**

DUCI WURTEMBERGIAE & TECCIÆ, COMITI  
MONTISPELIGARDI, DYNASTÆ HEYDENHEMII &c.  
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS & IMPERII,  
NEC NON INCLUTI SUEVICI CIRCULI  
GENERALI CAMPI MARESCHALLO,  
LEGIONIS DESULTORIORUM CÆSAREÆ, UT ET  
PEDESTRIS SUEVICAÆ, CHILIARCHÆ &c.

**PRINCIPI**

AD ÆTERNITATEM NOMINIS & GLORIAM  
DOMUS WURTEMBERGICÆ NATO,  
PIO, FELICI, AUGUSTO,

**HEROI**

PRÆCIPUOS HUMANÆ PRÆDICTIONIS  
TITULOS DUDUM SUPERGRESSO,  
SECULO STUPOREM, HOSTIBUS TERROREM,  
SUBDITIS VIGOREM ADMOVENTI,  
LAUDUM THEMATI, VIRTUTIS DIADEMATI,  
MAGNIS SUIS MAJORIBUS MAJORI,

**CVI**

HONORIS UNIGENITA FAMA,  
TANQUAM JOVI SUO STATORI,  
SPLENDIDISSIMUM GLORIÆ ERIGIT DECUS,  
PERITURUM, CUM ORBIS SE IPSO FLAMMIS ORBABITUR,

DEFENSORI GERMANIAE FELICISSIMO  
RELIGIONIS ET JUSTITIAE ATLANTI MAXIMO;  
LITERARUM NUTRITORI SUMMO,  
PATRIÆ PATRI LONGE CLEMENTISSIMO,  
IN CUJUS SALUTE TOT MILLIA HOMINUM SUSPIRIA ACQUIESCUNT,  
VOTA SINGULORUM, SUBDITORUM ET EXTERORUM,  
QUIBUS VITALIS, QUEM TRAHUNT, EST SPIRITUS, TERMINANTUR,  
SPESQUE ITIDEM MEA CUM SUBMISSISSIMO SESE FUNDAT ARDORE,  
SANITATEM INCONCUSSAM,  
VITAM LONGÆVAM,  
REGIMENTRANQUILLUM,  
PACEM CONSTANTEM,  
DOMUM FLORENTEM,  
POPULUM FIDELEM,  
FELICITATEM PERPETUAM,  
ET QUÆ PRINCIPIS AC HOMINIS VOTA SUNT,  
DEVOTISSIMO INTENSISSIMOQUE ZELO  
APPRECOR,

INSIMULQUE VERO  
TOTUM ME CUM PAGELLIS HISCE AUSPICII LOCÖ EDITIS,  
VELUT SUSPENSA VOTIVA TABULA,  
SUPERGRESSÆ FASTIGIUM PRINCIPALE IPSIUS CLEMENTIAE  
EA,  
QUA SUBDITUM SERVUMQUE DECET,  
HUMILITATE,  
CONSECRO, TRADO, MANCIPO,

Subiectissimus

JOHANNES JACOBUS Helfferich!

Respondens.



J. J. J.

## P R A E F A T I O .

Um, exsuperatis solitis atq; soleñibus tūm ten  
tamine, ut vocant, tūm examine publico, &  
feliciter impetratā ab Eminentiss. Illustrissi  
mæ hujus Eberhardinæ Dno Cancellario, Pa  
tronō nōstro prolixā sine honoris atq; obſe  
quii præmissione nunquam nobis compel  
lando, Licentiā, summos in utroquè jure Doctoris hono  
res atq; Privilegia prensanti reliquum non sit, quām ue  
thema quoddam auspicii loco publicè disputandum edar,  
eiquè & nobis jam manus admovenda esset, dubii planè  
diu atq; anxxii hæsimus, qualem proinstituto hoc materiam,  
dignitate suâ, juxta & utilitate ac amœnitate se insinuantem,  
seligamus. Varia itaque statim sese obtulerunt, ex parte  
quoque à nobis elaborari cœptæ; benevolia tamen summè  
nobis faventis Excellentiss. Dni Præsidis commendatio fecit,  
quod præ ceteris præsens hoc magis arriserit, quod illam,  
quantum quidem indagare licuit, à nemine in tali formâ  
haçenus fuerit exposita. Quamvis an primi nos hanc ma  
teriam per modum Disputationis exhibeamus? an verò il  
lud ab aliis quoque factum sit? nostrâ scire parùm intersit,  
ut qui in ejusmodi mustaceo laureolam non quærimus. Il  
lud verò lectoros non ignorare, nostrâ refert, conceptam  
quidem

A

quidem hanc nostram operam pro dignitate, pleniori jucto què apparatu, & pleramquè etiam partem jam tūm perfectam fuisse, sed inopinata & ineluctibilia quædam impedimenta, citra quod fastigium voti fuerat, ultimam non permisisse limam, & ex amplissimâ materiâ nonnulla qualitercunquè convansandi, atquè paucas saltem theses, dummodo disputandi materia esset & occasio, publicâ eruditorum censurâ submittendi necessitatem imposuisse, infsecuturam tamen nihilominus aliquando, ubi Deus vitam, sanitatem otiumquè indulserit, latiorem atquè digniorem ejus elaborationem.

**THESES. I.**

**L**iterarum scribendique origo cuinam mortalium cuiusve ævo certò adscribi debeat? scitu res esse, si qua ullam unquam, maximè digna. Et tamen certi affirmari nihil potest. Adeò multa multi hac de re congesserunt, & fusè & confusè, ut ab iis penè incertus magis abeas, quam dudum fueras, & reliquum non habeas, quam vetus illud Romanorum: *Non liquet.* Ecquis enim in tantâ rerum ultimâ antiquitatâ caligine indubitati quid absquè hæsitatione proferre ausit? Non tamen eò minus omnium tutissima plures inter illorum nobis subinde visa fuit sententia, qui inter rudimenta hieroglyphica sive characteres symbolicos & literarum notamenta atquè complementa distinguentes, illa jam temporibus Patriarcharum adeoque ante tempora Mosis, hæc verò tempore Mosis demum, & ab illo apud profanas quoque gentes obtinuisse, asserunt.

**II.**

Quicquid est, furere profectò magis, quam humano more loqui censentur merito, qui scripturam & literas rei humanæ

humanæ pestem vocant, è nostro sodalitio exterminandam. Quantò sanius illi judicant, qui summis illam non solum laudibus in cœlum extollunt, sed & pro maximō ab ipsâ Majestate divinâ homini, indigat quippe multarum rerum creaturæ, concessō beneficio, eoque illustriori, quod hominem à brutis animantibus apertissimè secernit, imò pro tam necessario instrumento, conceptus suos atque voluntatem cum aliis communicandi, reputant, quò sine nulla ferè subsistere posset humanitas, nulla vel planè non, vel non æquè commodè, conservari societas. Et quamvis alia adhuc suppetant voluntatem animique cogitata sua aliis adaperiendi signa, puta per nutum, oculos digitosve, quos amantium esse linguam Ovidius, amorum magister, docet; factaque porrò hominum nonnulla in circumstantiis suis ita sint comparata, ut non possit non, quid sibi quis velit, satis quandoque exinde colligi, quò pertinent exempla famosæ l. 2. §. 1. ff. de paci. item l. 20. per tot. ff. de A. vel O. H. l. 14. §. 7. de relig. l. 34. de Neg. Ges. &c. quamvis denique verba ore voceque prolatæ sententiam animumque nostrum aperte satis referant ac declarant, præsentesque sermone humano maximè affici & edoceri quam aptissimè soleamus. Est tamen, ubi verba literis consignata signis & factis ipsis extantiū operantur, imò ubi scriptura vim loquelæ superat, atque vivo sermoni sermo pictus præfertur. Est quoque propterea, quod communis ferè Politicorum Schola Regibus & Principibus, si quæ inter se habent negotia, ne, clavo aliis relicto, suomet ipsi colloquio atque congregatu, sed potius per Legatos vel per literas illa confiant, nî scil. conditio persona, temporis, negotii & alia momenta contrariam prudentiam requirant, satis prudenter varia obincommoda suadeat.

## III.

Quandoquidem ergo omnia passim humanæ societatis

A 2

tis

tis negotia necessitatem simul & utilitatem scripturæ evin-  
cunt, tūm illa præprimis, quæ commercia, bellum, pacem  
adeòquè omnem Reip. statum directò atque principali-  
ter concernunt, absque divino hoc, divinitus homini quasi  
indito, instrumento expediri aut planè non, aut difficulter  
posse, in proposito est. Hinc illæ **STATUS LITERÆ**,  
de quibus jam.

## IV.

Ubi primo quidem loco, quæ ad verborum enuclea-  
tionem spectant, nonnulla moneri non adeò incongruum  
foret, sed cùm Philologos atque Lexicographos passim cir-  
ca eam occupatos noverimus, sufficiet, harum rerum curio-  
sos èd ablegāsse, & breviter indicāsse, utramque vocem  
*Ἐν τῷ πολλαχῷ λεγομένῳ esse*, in combinatione verò  
suâ nobis heic significare: Scripturam, ad absentem  
directam, quâ mediante cum ipso super rebus sublimem  
Principis Dignitatem atq. characterem, universum statum,  
gubernationem atquè conservationem Reip. immediatè, direc-  
to atquè principaliter concernentibus, conferimus atquè tra-  
ctamus. Toto cœlo itaque abhinc differre illas status liter-  
as, quibus justas ob causas in negotiis judicialibus ad pre-  
ces litigantium, à Principe vel ejus Vicario, cognitio Pro-  
cessusquæ judicarius, aut ad certum tempus, aut ad in certum  
sustinetur atquè suspenditur, nemo non videt. Veni-  
unt illæ alias quoque sub nomine rescriptorum dilationis  
& justitii particularis, & fundamentum suum non solum in  
l. 36. & 58. ff. de judic. item in l. un. C. in qu. caus. milit. for.  
Præscr. verum & in ipsa naturali æquitate habere credun-  
sur.

## V.

Cum verò duo sint tempora, ad quæ omnia, quæ in so-  
ciate humanâ versantur, jura referri possunt, duoquæ  
cardi-

cardines, in quibus omnia omnino, quæ circa gubernationem atque tranquillitatem statutum civilem oriri possunt, voluntur negotia, *bellum nim. & Pax*, satis nos pro objecto, in literis ejusmodi accuratè semper dispiciendo, indicasse putamus, si versari illas unicè circa *belli pacisque negotia* dixerimus. Quamvis enim ita res religionis, fidei atque cultus divini heic planè exulare debere videantur, tranquillitatem quippe non atque civilem & præsentem, ac spiritualem, eternam atque futuram respicientes; quia tamen ejus, qui Remp. regit, munus ad omnia ea se extendit, sine quibus beatitudo atque salus Reip. nulla obtinetur, & verò summâ sine rerum sacrarum cultusque divini curâ omnium ore ac experientiâ nulla civilis diu felix atque constans esse potest societas, nullaque præterea res statum magis afficer atque turbis implicare, quam religionis unio vel dissensio, apta est, meritò & hæc materia inter optimè huc quadrantes reputatur, reputataquæ subinde fuit uti ab omnibus, omni tempore ad gubernacula Reip. sedentibus, ita præprimis à nostris Germaniæ, imò totius Europæ Proceribus: Cuí enim ignotum esse potest, illam per tria retrò secula perpetuò fere præcipuum curarum partem apud ipsos obtinuisse? testibus locupletissimis *Sleidanio*, *Hortledero*, *Seckendorfio*, *Lundorpio*, *Pufendorffio* &c.

VI.

Ipsò autem eō dum rem atque materiam statutum immediate ac directò tangentem ad literas hasce requirimus, prono inde fluit alveo, minimè nos huc referre posse, quæ ad demulcendum saltem animum, & ad conservandum mutuum amicitiæ vinculum scribuntur, quibusque ceu nudis urbanitatis atque civilitatis notis invicem sese Principes excipere solent, hodierno præsertim seculo, quo civilitas eorum supremum attigisse cacumen videtur; quò pertinet

nent die Notifications / Schreiben auf Beylagern / Kind-Tauſen / Anerettung einer Regierung / Erhaltung neuer Würden / glückliche Erbheilung / Neu-Jahrs-Briefe / &c. Item auf traurige Fälle / das Absterben der nahen Angehörigen / oder ſonſt wegen eines großen Schadens / der einem im Lande begegnet / &c. Quæ vel idē sub alio, quām verborum Honoris **der Blaffen Complimenten**, cenuſu haud veniunt, quoniam ultra honoris quoque aut affectus contestationem, ſub ſpe amicitiam lātitiamve reciprocām excitandi vel firmandi factam, nil continent. Sed nec huic ſpectare quilibet videt, quæ Princeps citra rēſpectum ad ſtatū ſuum alio cum in ſcriptis tractat, veluti ſi contrahit, transigit, matrimonium init vel alia quādam ita peragit, quorum gratiā privatorum jure deinceps uti dicitur.

## VII.

Ex evidenti hac atque clarā ſatis objecti delineatione facilē jam ad ſubiectum tam à quō, quām ad quod, ſive ad personas, quæ literas ejusmodi ſcribere atque mittere, & ad quas ſcribi atque dirigi queant, concluditur & ſuſſimetur. Pro regulā enim hic ſubſternere licet: *Quicunque res in objecto indicatas i. e. omnia, quæ vel ad pacis vel ad bellī jura ſeſe referunt, negotia, aut proprio jure aut offici ratione tractare poſſunt, illi quoque ſubiectum habile ſcribendarum ſtatū literarum conſtituant.* Priori modo hoc habent Reges, Principes, Reſpp. liberæ &c. uno verbo, qui Majestate vel ipſā, vel potestate eidem analogā, præfulgent; posteriori verò Consiliarii ſive officiales, die **Staats-biedente** / qui ſcil. Principum arcana dominationis & ejusmodi negotia, quæ Gallis audiunt *affaires du Cabinet ou d'Etat*, tractant, quoſque propterē adjectā aliā voce titulo **Ministrorum ſtatus** ut plurimū decoramus, quibus tamen absq[ue] ſpecialiſuperioris mandato, præſcitu vel ratificatione & ultra

ultra præpositionis legem nil facere permisum. Sine ulla  
hesitatione itaque quod ad priores attinet, huc referendi  
Imperator atque Status Imperii, tūm in communione, tūm  
quilibet sigillatim & pro se considerati, unā cum ceteris  
Regibus, Principibus atque Rebus p. liberis. Num ergo  
etiam Pontifex Romanus ratione terrarum, quæ sub nomine  
*statu della Chiesa* veniunt? dubitari poterat, ob rationes un-  
diique notas. Nos illis posthabitis & hunc pro verō tam  
scribendi, quam recipiendi literas statū subjectō agnoscimus,  
quia verum terrarum suarum dominium hodie ipsi non  
denegamus. Non enim de eo jam est questio: quibus ma-  
dis atque artibus ad talem potentiam atque Majestatem per-  
venerit? Sed quomodo hodiē considerandus sit, & reverā  
quoque à reliquis Principibus, imò ab Imperatore ipso, quo-  
tidie consideretur atque tractetur? sanè quocum tanquam  
cum libero Principe, à nemine dependente, publicè ago,  
fœdera pango, pacificationum formulas concipio, Lega-  
tos & quidem cum charactere, permuto, ab eo misos sole-  
ni ritu suscipio, datā occasione mea non reclamo &c; illum  
quin pro absoluto atque libero Principe agnoscam, du-  
biū non est, licet antiquo uti titulo haud desistam.

## VIII.

*An hisce in literis salutatio vel officiorum oblatio pre-  
cisè necessaria sit?* variè deciditur, aliis in affirmativam, aliis  
in negativam propendentibus, hocque à merō scribentis  
arbitrio dependere, & humanitatis non necessitatis esse,  
eam præmittere, censentibus. Nos ante omnia ad *sylum  
curie*, tanquam ad lapidem Lydium, eumque hoc accura-  
tiūs hic attendendum esse, putamus, quia non semel con-  
tigit, ut literæ solitis salutationibus atque officiosa oblatio-  
ne destituta in originali fuerint remissa. Exemplum ex-  
hibet Lundorp. A. P. Tēm. II. Lib. I. Tr. 4. c. 1. & 2. ibi:

uns

Uns (Imperatori) ist ein Schreiben unter deiner Liebden  
 (Electoris Brandenb.) Nahmen und Siegel/ gleich woll D.  
 L. selbst eignen auch ihrer Eltern und Vor Eltern/ so woll  
 anderer Reichs-Stände üblichem Stylo und herkommen zu  
 wieder NB. mit auslassung derer gegen uns als ihren Herrn  
 und Oberhaupt schuldiger gebührender Diensterbietung/  
 fürbracht &c. & in fin: als übersenden wir Deiner Liebden  
 obangeregte ärgerliche Schrifte zu mehrerer Contestation  
 und Bezeugung deren öffentlichen Verwerfung hierneben  
 in originali zurück. Quamvis si abstrahendo atque sum-  
 matim de ejusmodi formulis judicandum, quia ita com-  
 paratae sunt, ut in nimis generalioribus ac incertis compla-  
 centiae (sit venia verbo) terminis cōsistant, & ad specia-  
 lem aliquam obligationem commodā interpretatione tra-  
 hi nequeant, juraquē vero semper eam fugiunt explicatio-  
 nem, quæ ad infinitum tendit, non serio sed honoris sal-  
 tem causâ scriptæ censeri debeant, ideoquè etiam nihil præ-  
 judicij inde scribenti oriri queat. Quo pertinet elegans  
 interpretatio Ulpiani in l. 19. §. 3. ff. de Edilit. Edic̄t. ubi ita:  
*Ea solum promissa adimplenda sunt, quacunquè sic dicuntur, ut praestentur, non ut jačtentur.*

## IX.

Cūm ergo in literis hisce ad omnia etiam minutissima  
 eo magis attentum atquē circumspetum esse deceat, quod  
 majus exinde toti statim Reip. præjudicium enasci potest,  
 valde conductet, *inscriptionem* earum præ cæteris etiam  
 quam accuratissimè examinasse. Num dehinc *Dignitas ti-  
 tularumve debitorum splendor illius, cui transmittitur episo-  
 la, vel etiam ipsius mittentis apponi necessariò debeant?* con-  
 grua statim est quæstio, de privatis quidem civibus atquē  
 rusticis expedita, cūm parum vel nihil omissione hæc adver-  
 tur, in genere quoque facilem recipiens decisionem, neque  
 enim

*De Literis Status.*

enim propterea vel fides adimitur epistolæ, nequè materia ipsi inibi relatæ vel tantillum detrahitur. Ast quoad Principes summaquæ Reip. negotia tractantes aliter pronunciandum. *Posteriori* enim in casu, & si epistola *ipsius missentis* destituatur Dignitatis titulo, suspecta est ob stylum Curiæ non servatum; *Priori* verò ubi nim. *eius*, *ad quem dirigitur* epistola, solita dignitatis deficit indicatio, notū est, quod vel planè non resignetur illa aliquando atquè repudietur, vel resignata in originali remittatur, vel etiam in causâ sit, quod minus Legatus ita instructus audiatur, testibus exemplis in omnifere historiâ, noviori maxime, infinitis. Imò cùm omissione tituli tacitam quandam ipsius denegationem arguat, & verò inter eos, qui superiorem non agnoscunt, arma finaliter decident, ferè nobis persuademus, hanc æquè ac injustam tituli usurpationem justam quandoque belli præbere causam. Rationibus enim, qua Principum animos afficiunt, vim aliquam in esse, dubium non est; Et licet interdum res etiam non adeò ponderosæ videantur amplam controversiarum suppeditare materiam, Principum tamen prudentia eò respicit, quò obtusa vulgi ingenia penetrare sunt neficia. Ecquis verò carpet, Principes & Magnates uti honoris, ita & titulorum, inter se ipsos acerrimos exactores & vindices esse rigidissimos, cùm & ii, qui inferiorem Dignitatis gradum obtinent, graviter ferant, honore suo privari? Posset videri, verba sunt Conringii (in Aßert. Jur. Mogunt. in Coron. Reg. Rom. pr.) *contentio de re leví, & vero non est in ea salus Reip. collocata; attamen interest ijsbus quoquæ Reip. ut sua cuique dignitas, suum jus, conservetur, praesertim maximis Principibus, quod noceant ejusmodi injuria saltē exemplo, & iniquum ferendo muniāt quasi viam licentiae.*

X.

Ad minimum tituli subministrant aliquam præsumptionem,

B.

nem,

nem, rem ejus esse, cuius titulus rei præscriptus, aut id significant, aliquando proavos Dominos & Possessores fuisse, sed possessione vi aliave temporis forsan injuriâ deturbatos esse. Hinc procul dubio factum, ut Reges & Principes titulis protestationis & conservationis juris sui loco utantur, eoque Provinciis, quarum possessione exutos se deplorant, parentent, quod tamen apud eos pro signo non derelicti juris & interruptæ præscriptionis habetur. Imò ob solos etiam titulos, quibus alter abstinerere renuit, acerba nonnunquam bella fuisse gesta, experientiâ edoc̄i sumus. Et licet alias de solo honore absq̄e utilitate parvum curandum videatur, titulique sine vitulo s̄pē rideantur, quid enim commodi⁹ destituto titulus afferre valet? Attamen plus talia in recessu habere, quam primā fronte videntur, non dubitandum. Quod si enim humanae societatis natura non patitur, ut actibus animi verbis factisq̄e sufficierenter indicatis, nulla sit efficacia Grot. l. 2. cap. 4. & privatæ etiam sortis hominē retentione tituli (utpote qui dominii transferendi causa est) impediti cessionem rei, per quam alias jus suum sive in re, sive ad rem illud sit, in alium devolvunt, modo non fiat contra dispositionem legum, forte in potentiores l. 1. & 2. C. Ne lic. potent. isquè, qui titulum retinet, rem illo designatam minimè dereliqueret, sed possessionem ejus animo retinuisse censemur. l. 3. §. 7. & l. 30. §. 5. de A vel A.P. Cur itaq; non idem liceret sumis Principibus, quorum Dignitas à privatorum humili sorte infinitis parasangis distat? Et quamvis à titulo load rem ipsam haud validè argumentemur, cum interdum ille re ipsa major, interdum verò minor sit; solusq̄e titulus alias quoque per notissima sufficiens non sit ad Dominium transferendum, sed traditionem accedere oporteat. A titulo tamen prætensionem seu jus ad rem derivare omnino licet. Limit. dicta modo quis prægnantes atquè validas ad usurpandum

pandum vel retinendum titulum habeat causas, & non nō-toriē ostentationis ergō id faciat, nam aliās meritō omnium risui sese exponit, & similis videtur pueris, quibus omne iudicrūm est in pretio, quiquā bullas ex salivā & smegmate confessas, spiritu in aëre hinc inde propulsas, vel cœlo ipso pulchriores putant. Cæterū & id aliquando usū venire Principib⁹ solet, ut, si pro terrā alteri cessā aliam acceperint, titulum cessæ ideo retineant, ut permutationem illicet eoque citius probare queant, uti observamus in Potentiss. nunc Poruss. Rege, qui ideo quoquā totius Pomeraniae titulum una cum cunctā sobole masculā servavit vigore Instrumenti P. Westph.

XI.

E contrario s̄epius contingit, ut in inscriptione epistolarum etiam Magnates titulis solito liberaliores sese exhibeant. Ita constar, aliquando in Epistolis dominos vocari, qui tamen non sunt. Cum enim hodiè è deuentum sit, ut tituli non rei veritate, sed opinione hominum nitantur, illud ad titulorum periodos, & in his ubique ferè excessus aptum invaluit proverbium: **Die Titul kosten kein Gelde.** Sicuti verò quod ita sit, ad prouerendum saltē favorem eorum, quibus scribitur, spectat; ira consequens est, nihil juris inde ei, cui titulus tribuitur, acquiri. Adeoque juxta hoc superflua in titulis non nocent, sed profūnt potius, ita ut in iis magis prodigio liceat esse, quam parco, maximē si cum ambitioso, quem invidiosa titulorum pompa delectat, res sit; hujus etenim favorem & hac viā consequi poteris. Et quoniam tituli ac elogia placendi, assertandi adulandive animo saltē profata, sub generali *verborum honoris* aestimatione existunt, à principib⁹ quoq; in scribendo circa ullum obligationis vinculum cōsuntantur. Ad hoc enim, ut quis firmiter obligetur, ante omnia requiritur consensus & intentio.

Consensus autem consistit in animo, & est affectio mentis, non prius dijudicanda, quam si facta quodam lese exserat, quod licet etiam verbis scripto prolati non raro fiat, tamen ea demonstratio non est apodictica, sed probabilis tantum, semperque succumbit, ubi aliunde de verâ mente scribentis constat. Jam verò nullius intentio est, per verba Honoris alteri jus aliquod in se concedendi. Deficiente itaque obligandi intentione, substantiali obligationis requisito, ipsam quoque obligationem deficere necesse est. Quò pertinet parœmia Germanorum: *Ehren-Wort binden nicht.* Verum enim, cum accuratissima ceremoniarum atque civilitatum Philosophia hodiè præcipuum ferè Aulicorum obtinuerit curarum partem, utiliter quandoque quæ ita scribuntur arripiunt, valde suadendum est illis maximè, qui alteri viribus atque potentia parens se nesciunt, ut in tribuendis atque scribendis ejusmodi Honorum verbis admodum cautè procedant, & ab arbitrariis etiam ejusmodi atque insolitis elogii quantum potest abstineant, edocendi quippe atque monendi ad id exemplo *Sabaudia Ducis*, qui cùm Anno 1690. summâ necessitate & malorum, quæ à Catinato, Generali militiæ Gallicanæ Præfecto intentabantur, metu compulsus, epistolam suæ erga Regem reverentiae eò magis testandæ ergo paulo liberalioribus verbis adornasset, interque alia & sequentia sibi excidere pateretur: *que sa Majesté en étoit le Maitre.* Catinatus statim exinde conventionem, ad producendam obligationem efficacem, ursit, licet ex parte Ducis promissio non nisi sub verbis Honoris facta prætendebatur, hac additâ interpretatione: *Qu'on ne scauroit disconvenir, que les termes de respect & de soumission, dont un moindre se fert à l'egard d'un plus grand, soient obligatoires sur le pied literal, & que quand on écrit à un grand, que toutce, que l'on a, est à son service, qu'il est maître de* çey

çey & de cela, & de disposer absolument de tout, ce n'est, qu'une *expression extremement obligante*, qui ne signifie rien, & ne tire à conséquence aucune obligation positive &c.

## XII.

Illud est certum, ex usurpatione & adhibitione vocabulorum: *Liebe/ gerreue/ gehorsame/ Unterthanen/ & unsfern Gnädigsten oder Gnädigen Herrn/ &c.* ad subjectiōnem vel superioritatem, nisi alia urgentiora concurrent indicia, i ferri firmiter haud posse. Quò pertinet *die Gräffl. Waldeckische Ehren-Rettung.* p. 1. cap. 15. & quod Dd. coīmūniter tradunt. Extantissimum hujus rei testimoniūm ex presuppositā plurium sententiā suppeditant solennes Statuum Imp. Rom. Germ. etiam in literis statūs receptæ Cæsarem compellandi formulæ: *Aller Gnädiger Herr.* atque in subscriptione vocabula: *Allerunterthänigste/ Unserthänigste.* Item notissima pramissio: *Ewer Kaysert. Majest synd meine Unterthänigste/ gehorsame und willige Dienste mit treuem Fleis zuvor &c.* Qui mos scribendi cū temporibus Carolingorum, qui omnium historicorum una-nimi confessione libcrius regnabant, originem debeat, facile appetat, quali effectu gaudet, si prælenti Imperii statui applicetur. Etenim cū hodie notissimus sit Procerum Germania splendor atq; potentia, minùs accuratè philosophatur illi, qui ex schemate isto tirulorum de presenti Reip. R.G. formâ ejusdemque intimâ compage cuncta judicare audent. An verò adeò propterea placere debeant verba Monzambani, Cap. VI. §. 6. circa fin. *Inania,* inquietis, titulorum (puta quod ab Ordinibus Cæsar nuncupatur Dns. Clementiss, quod in subscriptione literarum alibi què de obsequio suo prolixissimè protestantur) *genius seculi stylusquè Curie produxit, non plus serè efficacia habentia, quam alta verba hono-*

ris, in qua ignavissimus quisquè solet esse effusissimus. jung.  
§. 4. ibid. Item an magnifici Cæsaris tituli non amplius fe-  
rè operentur quām alia honorum vanitates, in quas homi-  
nes se effundunt, quoties uncta capita alloquuntur, nec  
submissæ Statuum voces, quibus ad Cæsarem utuntur, in-  
puant quid præter sermonis comitatem, quā membra ex  
regulis decori capitis animuri sibi conciliant? Itis omnino,  
qui hæc sustinent, relinquimus. Hoc tn. est certum, minimè  
ferri posse illorum sententiam, qui eandem ob causam, quod  
verba atque tituli tam splendide ac submissè sonant, planè  
Monarchicam, vel ad minimum Carolingicam, Imperio no-  
stro formam assignant; nec quoq; opinionem illorum firmò  
niti talo, qui Imperatorem Monarchicè non quidem regnare,  
Statūs tamen veros atque meros ejus esse subditos, asserere  
non dubitant. Quibus satis liberè jam in Conventu Neo-  
magensi causam dixit, & ipse quidem Statūs Imperii, Episco-  
pus Argentoratensis, vehementer irritatus, cùm in illâ De-  
claratione, quæ exhibetur Tom. II. des Actes de la Paix de Ni-  
megue p. 194. Imperatoris & Imperij subditus appellaretur,  
propterea quoque statim libello quodam Memoriali novum  
& inauditum hunc titulum causatus, multis rationibus eum  
à se amoliri conatus fuit. Nostrâ, si quæ est, sententiâ opti-  
mè quis faciet, si nexum, uti est inter Cæsarem & Statūs, non  
ex uno fonte derivaverit, sed quædam jura ad reliquias an-  
tiqui Statūs Monarchici retulerit, quædam ad statum feuda-  
lem, mutuumque Domini & Vasallî respectum, quædam de-  
nique ad formam faciemque foederatarum quasi Rerump.

## XIII.

In universum verò quisquis Philosophiam titularem  
rem oppidò inconstanter esse, ac usu rectius, quām præ-  
ceptis addisci dixerit, nā is vere! Ea enī, scitè ait Doctiss.  
Freinshemius, est rerum humanarum mutabilitas, ut & no-  
mina

mina summis rerum hominumve tributa tractu temporis sensim devolvantur ad insimos. Nam ut quisque propriar cunctam dignitati sibi videtur, ita nomen ejus affectat; & cum hoc à multis sit, tanquam sede suâ emotum, transferatur ad viliores, dum iti, qui primum gesserunt, cernentes fraudi sibi esse, si quos ordine antistent, nomine non distinguantur, non va subinde vocabula excogitant: donec omnibus exhaustis, tandem redeunt in orbem &c. Docemur hoc undique & ex omni historiâ, in specie quod ad Germaniam nostram, nemmo magis graphicè scripsit Münstero (in Cosmograph.) Quam vero aliam huius variationi atque confusione causam præter ambitionem, superbiam, adulacionem atque luxuriam tribuere queas, non videmus; hisce enim succrescentibus, titulos quoquè ac honores simul succrevisse, nullus forsitan dubitabit, eoquè effectum, ut qui antea elogio Nobilis, Magnifici, Excellentis, Illustris, Sublimis, Celsi &c. contenti fuerint, jam vix aliter audire velint, quam Serenissimi, Potentissimi, Invictissimi &c. Est hic titulus Imperatori Romano-Germanico in primis tribus sicut etiam; quamvis quod ad duo priora attinet elogia, illa quidem splendori ac fastigio nec non potentiae Imperatoriae optimo jure convernire negari nequeat, ultimum tamen præter insignis honoris testimonium nil amplius continere vix videtur negandum. Veritati enim id contradicere, nec Cæsarem invincibilem, nedum invictissimum dici posse, tot infelicia bella & aquila divulsione ac deplumationes abunde testantur; Nec minimam (excepto eo, quod stylus curia hunc titulum ipsi jam proprium reddidit, in cuius quasi possessione jure meritoque se defendit) exinde præ ceteris Monarchis prærogativam sibi assignare valebit, cum æquè ac illi fortuna subjectus sit mutationibus. Nec juvabit cum Limnao L. I. E. cap. 6. n. 10. dixisse, Imp. ita compellari, non quod tales

omni

omni tempore se exhibuerint, sed ob votum, quod eos semper invictos vult. Etenim si mentem plororumque tali encomiō utentium consulas, nemo eorum facile invincibilem optabit Cæsarem, sed potius pro more atque honorum causā, quam ex verā animi ſententiā Eundem Invictissimum appellabunt. Ceterū obiter hic non negamus, iam à primis Romanorum Imperatoribus hoc epitheton fuisse usurpatum; An verò & in Germaniā noſtrā statim à Carolingis fuerit aſſumtum? hoc eſt, quod haſtenū nihil nobis perſuaderit, ne quidem *Charta divisionis Regni Francorum inter Karolum, Pippinum atquè Ludovicum, filios Caroli M. Imp.* de An. 806. ap. Goldast. Baluz. Mabillon. &c. ubi hic titulus statim in pr. expreſſe invenitur. Meritò enim illa refertur inter tot singularis otii commenta, quae ſequiora nobis ſecula ingeniaquè pepererunt. Ejusdem fortis eſt elo-gium: *Semper Auguſti*, ſive ab augendo imperio, quam derivationem noſtris quoque videmus placere Cæſaribus, cum titulis ſuis vernacula linguā scriptis adjiciunt: *Allgegen Mich-er des Reichs*; illud deduſas, ſive, quod latine doctis ſolū arridere vult, ab Octaviano, utpote qui primus nomine hoc ampliore ex auctu vel avium gulfu decoratus fuerit, ortum ſuum habere credas. Apud Germanos verò (nam de Romanis per tot nūmōs ac inscriptions res expeditior eſt) ſub quonam Cæſare & illud primum invaluerit? valdē controvertitur. Tribuere illud Friderico I. conatus eſt Bœclerus, in quā ſententiā benē multos statim asſeclas vidit, ſed certatim ea propter deinceps refutatus, etiam ex iſtituto, à viris Celeberrimis, qui omnes, morem hunc ſcriben-di temporibus Fridericianis longè antiquorem eſſe, ſolidè demonstrarunt; ut deinceps non imeritò miremur, quā errorem hunc noviter recoquere voluerit biga virorum in rebus historicis, piaſerit Germanicis, alias versatissimorū.

XIV.

## XIV.

Quicunque autem, num scribens ejusmodi literas proprium suum nomen, an nomen dignitatis premitat? interesse putant, proptereà, quia illo in casu successores ad id, quod ita in causis, statum immediate concernentibus, tractatum, non obligentur, hoc stringantur, illorum doctrinam meritò ita absurdam judicamus, ut vix absurdior excoigitari queat.

## XV.

Omnium cautissimè ergò qui circa *formalia* in scribendis Statu literis procedere discipit, ei, ut primariò ad *stylum Curiæ* publicum atque solennem attendat, & ad illum tanquam ad sacram anchoram configuat, suprà jam suassimus. In cuius quidem dignoscendis characteribus nonnulli satis operosi fuerunt. Ast nuda sicut facta aliquoties repetita non statim ad obseruantiam referenda; ita nec formulæ aliquoties adhibitæ confessim pro *stylo Curiæ* sunt reputandæ, sed eas, sicut plura alia, variare credendum, tūm ratione temporis; aliter enim antiqua, aliter nova curia loquitur, nisi quod hæc sèpè ex illius solennibus aliquid mutuatur: tūm ratione *nationum gentiumque*, quæ & ipsæ tamen multa à se invicem desumita, postea veluti consensu quodam usurpant. In titulis autem in specie, quibus augusta Regiæ Principalisque dignitatis majestas insignitur, et si dubitandum non sit, quin adulatio multa invenerit, novaverit, amplificaverit vid. *tb. 13. supr.* non tamen detrectare ista statum aut abolere prudentes possunt, & admisso semel exemplo, inter pares pro injuriâ habetur, imparibus titulis ornari. *tb. 9.* Hinc quoque factum est, ut, quod adulatio fuerat à principio, paulatim in rationem abiret. Benè multa hic pertinentia habes ap. Pufendorf. tam in *Brandenburg.* quam in *Suecic. Commentar.*

C

dignis-

V.

dignissima legi, de litibus & questionibus super titulis cum Gallis, Hispanis, Suecis, Polonis &c. quibus admodum illustrari potest hoc argumentum.

## XVI.

Quamvis verò valde frequenter & per Legatos summa tamen in bellò quam in pace obvenientia tractari suetum sit negotia, quia tamen ipsius legationis seu missionis fundamentum, essentialis nota & quasi character est *Mandatum*, quo potestas tractandi vel libera vel restricta publicis describitur tabulis, non dubitandum, & hanc materiam tamen respectu objecti, quam subiecti, commodum theses inter praesentes obtinere locum. Est autem *Mandatum* hoc ita necessarium, ut illò deficiente, etiam si omnia alia adsint requisita, ipsa tamen legatio deficiat; ita etiam necessarium, ut nulla inter Legatos quoad hoc punctum valeat distinctione, & nec Imperatoriis nec Pontificiis nunciis sine eo credatur. Unde vulgatum illud: *Das man auch des Pabstis oder des Kaysers Wottschafften nicht glaubigen solle / ohne derselben Vriesse / wiewohl sie sonst beglaubiget seyn mögen.* Quod ipso in nihilum abit exceptio, quam ob præsumptionem fidei ac integratatis statuunt nonnulli in *Nobilibus*, quamque præterea Ecclesiastici juris consulti uno velut ore faciunt in Legatis quibusdam summi Pontificis, iis præsertim, qui quasi è latere Pontificis, cui assistunt, missi, à *Laterè Legati* vocantur, & plerumque ex Cardinalium ordine eliguntur, extraque ordinem ad ardua negotia maximè cum Regibus, raro cum Principibus aut Rebus p. nunquam ferè cum foeminis, consultanda ac tractanda alegantur, idque ideo, quia Cardinalis Curiam sine commissione vel delegatione legaliter factâ exire non soleat, & idcirco credi debeat ei, solum afferenti, se esse Legatum. Hanc enim utramque opinionem non solum omni fundamento juris destitui, verum

tum etiam praxi semper & ubique observatae repugnare, tu-  
to in nos suscipimus, firmiter ulterè persuasi, nullum quo-  
que discriminē esse statuendum inter Primi & Secundi Ordini  
Legatos. Est enim propriè omnis Legatus mandatarius,  
ab eo, qui potestatem habet summam, ad sui similem, ob  
publicum aliquod negotium expediendum, missus. Quan-  
tò graviora verò sunt, quæ ita per Legatos expediuntur,  
canto majori sollicitudine ipsiscum agendum, hinc pro uti-  
lissimā simul & necessariā cautelā sumendum, ut formula  
mandati accuratissimè semper excutiatur, & secundum ejus  
vīm, auctoritatem atq; verba, consilia omnia, omnesque cum  
mandatariis expediendæ actiones constringantur, nequè  
illis credatur aut permittatur, quod est supra limites ex-  
hibiti mandati : Est enim, ubi sufficit *Mandatum Generale*,  
(quod solent vocare *diploma legationis*, *literas fidei affer-  
torias*, *Credentiales aut codicillos dignitatis*, *lettres de  
creance*, *Creditiv / Credenz - Brieße*) personam legatil le-  
gitimans, ut Princeps ad quem eundem benignè velit au-  
dire, & ipsius verbis eandem attribuere fidem, ac si ipse  
mittens Princeps præsens ea loqueretur, mit Bitte / dem  
Abgesandten / deme wir unser Anliegen mit mehrern eins-  
befohlen / völligen Glauben in seinem Vor - und Anbrin-  
gen / als wann wir/ der Principal, selbsten zugegen / zus-  
zustellen / und gewierige Resolution zuertheilen / ne seil. tan-  
tum commendatitiae videantur literæ, qua merum ferent-  
is favorem respiciunt, & ad benevolentiam ipsi conciliandam  
tendunt, sed scribenti nondum præjudicant, nec il-  
lius respectu obligatoriae sunt. Est verò etiam, ubi *Spe-  
ciale* planè requiritur *Mandatum*, quod negotia, super qui-  
bus agendum est, determinat, *diploma facultatis seu In-  
strumentum Procuratorium*, vulgo *pouvoir*, *Wollmacht*  
dictum, quod strictius liberiusque pro naturā negotii con-  
cipitur.

cipitur. Aliquam multa habes specimen exactissimi examinis procuratoriorum ejusmodi diplomatum ap. Pufendorff.

## XVII.

Scriptum hoc mandatum antequam missus exhibeat, ad dicendum s. **zur Audienz** optimo jure non admittitur; prius enim constare debet, cuius nomine apparuerit, & sub quo nomine vel qualitate audiendus sit? neque ullam excitat fidem, cum semper ei obstet personae non legitimatae exceptio; Imo ita missum ad exhibitionem mandati sui cogi posse, dubitandum non est, quamvis ob earum defectum violari statim nequeat.

## XVIII.

Cum ergo haec literae ad fidem Legato conciliandam faciant, requiruntur etiam, ut contineant *missi, mittentis & illius, ad quem* mittitur, nomen, vel quae illius vice funguntur, demonstrationem, ut nimurum constet, quis, a quo & ad quem ille sit missus? Causa vero, ob quam missus & quid specialissime nunciare debeat? ut in hoc mandato exprimatur, non absolutae necessitatis est, sed hoc in alio deinceps mandato fit, quod simul specialiorem agendi rationem atque modum Legato praescribit, separatisque continentur tabulis, in secreto ipsi retinendis, quas *Instructionis* nomine insignimus, alii *actionis formulam* appellant, veteres *Commonitoria* dixerunt. conf. hic quae in primâ nostrâ Difserit. ante s. annos habitâ sub Præsid. Excell. Dn. D. Moeglingii *de Summo Milit. Imper. Prefect.* cap. III. §. 3. seq. de instructione Imperii nomine eidem tradendâ, scripta sunt. Regulariter illa à Legato edita non debet, conceditur enim non ad personam ipsius legitimandam, sed potius ad ipsum instruendum & informandum de negotio nunciantudo, de modo & aliis circumstantiis. Utrum vero, si contra

tra hanc Instructionis formulam peccaverit Legatus, Princeps non eo minus conventis, cum altera parte sic initis, tenetur? an vero ratificationem, ut loquuntur, resuere queat? questio est, veritate juris inspecta, non aliter quam ex generalis præpositionis natura atque regulis determinanda, ita scilicet, ut, sicut nos obligat, qui generaliter a nobis præpositus est, agendo etiam contra voluntatem nostram, sibi soli significatam; ita nominatim quoque Legatus, procuratori absolute instructus, mittentem stringat; distincti enim sunt actus volendi, unus, quo nos obligamus ad ratificationem eorum, quae in tali negotiorum genere fecerit; alter, quo illum nobis obligamus, ut non agat, nisi ex præscripto, sibi soli cognito, vel si quid contra fecerit, nobis teneatur, salvis pactis conventis cum tertio. vid. l. 5. §. 11. & l. 11. §. 2. de Instit. Act. Sed anno tunc mittens obligatus restitutionis in integrum beneficio gaudet? Ita quidem nonnullis videtur ob summam hujus beneficii aequitatem, non in Justinianeo saltē, sed in ipso quoque Naturæ jure fundatam. Aliis tamen, quæ opponant, non desent. Nos certam definitionem desuper difficulter dari, proque varietate circumstantiarum utrorumque rationes locum habere posse, existimamus.

## XIX.

*In Imperio nostro Rom. Germ. cuiusnam jus Legatos mittendi competit?* questio quidem est expedita, ex indole quippe negotiorum cum exteris tractandorum aestimationem suscipiens, prout enim mittuntur vel ob rem in solius Cæsaris potestate constitutam, vel ad Comitia pertinentem, etiam vel soli Cæsari vel Ordinibus communiter ista facultas adscribi debet. Magnif. Dn. D. Schweder, Patronus atq; Praeceptor noster omni honoris atq; obsequii cultu per extatem nobis profundendus in *Introd. in Jus Publ. P. Spec. sect. 1. c. 28. §. 4.* Ait quoad

C 3

modum

modū missione prærogativa aliqua Cæsar is in eo sese exserere  
 videtur, quod, licet materia dandorum *mandatorum*, quibus  
 auctorantur Legati, non nisi ad totum pertineat Imperium,  
 uti benè quoque cautum atque agnatum in novissimè ab Im-  
 peratore concessò Serenissimo & per eum, quā patet, orbem  
 inclito Sabaudia Heroi, Principi Eugenio, ad Tractatus Ra-  
 stadienses procuratorio, ibi : *obschon von uns erwogen und*  
*erkande worden / daß wegen eines solchen Mandats zuvor*  
*mit dem Reich müsse Communication gepflogen werden;*  
 porrò & *Instruktiones* quoque Statuum cum consensu  
 concipientur; hæc tamen auctoritate solius Cæsar is aliquan-  
 do expeditæ fuerint, exemplum vid. *in dem Neben-Absch.*  
*zu Augsp. de An. 1559. §. 2.* Literæ quoque Credentialles so-  
 lum Cæsar is nomen nonnunquam prætulerint, *ibid. verb.*  
*mit unserer Credenz. non addito : und gemeiner Reichs-*  
*Stände. confecta denique interdum ista non in Cancellariâ*  
*Imperiij, quam Moguntinus Elector, tanquam Archi-cancella-  
 riis Imperii habet, sed Cæsar is in der Reichs-Hof-Cantley.*  
 vid. *Reichs-Absch zu Regensp. de An. 1570. §. 109.* Sed verò  
 cùm *An. 1681.* de Allegatione Statuum ad Congressum Fran-  
 cofortensem in Comitiis ageretur, Proceres Imp. Cæsare li-  
 cit admidum ægrè ferente ac fortiter obnidente vid. *Eurep.*  
*Herold. p. 1224.* expressis tamen verbis ab hac lita tandem  
 remittente, primum obtinuerunt, ut tamen fidei quam *mandati*  
*secreti* formulas. (*die Vollmacht und Instruktion*) Deputati  
 ipsorum ab ipsis solis acciperent, quod deinceps etiam in  
 Adlegatis ad pacem Rysvicensem ex parte Statuum depu-  
 tandis sine ulla ulteriore Cæsar is contradictione factum  
 fuisse constat, hoc majori jure, quod Adlegati non  
 Cæsar is, sed, hoc exclusò, *ordinum tantum auctoritatem*  
 secum ferant, & quemadmodum Cæsar is est, suis Legatis  
 pro arbitratu formulas dare; ita Ordinum quoque, Adle-  
 gatos

gatos suos instruere. Quo tamen in casu præter *Comitiales* formulas opus esse administris allegatis, ut *Domeſticas* ſinguli à ſingulis ſuis Principibus accipient, quibus & fidem probent, & mandata diſcant, in adlegationis munere obſervanda, putat Dn. Ludwig. de Jure Adlegat. Ord. S. R. J. cap. IV. §. 17. ubi quoque formulam talem ſubjugit.

## XX.

Adducta de mandatis Legatorum ſatis etiam adap-  
riunt, quid ſentiendum fit de *chartâ purâ* ſive *blancâ*, quæ  
blanc signè, *blancet* italicè *carta bianca*, hispanice *pro-  
cura en blanco* vocatur, & nomine aut ſigillo Principalis, vel  
utroque, in imo inſignitur, mandata riſque, quorum de fide  
non dubitatur, in id dari ſolet, ut ex re conſulturi, omnia  
vifa ſibi utilia nomine Principis firmare queant, & juxta  
veternam formulam: *Videant, ne quid Reſp. detrimenti ca-  
peret.* Cujus quidem frequens & ſummos apud Princeps  
eſt uſus, quando vel res obvenit intricate, ancipitis conſilii  
ac propemodum desperata, vel ubi periculum eſt in morâ,  
& ſubſcribens vel propter absentiam aut circumſtantiarum  
varietatem & ignorantiam aliasque rationes non potuit  
animi ſenſa in chartam conjiſcere. Sed vero ſummi peri-  
culofam eſſe hanc auctoritatem, plurimumque Principi mi-  
nimè conducibilium facinorum patrandorum occaſio-  
nem præbere aptam, nemo infieſias ibit. Et quamvis  
propterea quoque Princepem haud obligare videatur, ſi  
quid illi inſcriptum fuerit, quod à naturâ mandati negotii  
abhorret, & in quod conſenſiſſe Princeps præſumti hoc  
minùs potest, quia dedit personæ, cui multum, & quod  
imprimis nihil in præjudicium ipsius tractatura ſit, confidit,  
indeq̄ue etiam ſedulo cavendum, ne quid alteri credulitas  
apportet damni; nihilominus tamen cum B. Hert. in not.  
*ad Pufend. L. 3. cap. 9. §. 2.* verius existimamus, illum, qui  
talem

talem chartam dedit, ex eâ deinceps ab alio repletâ alteri obligari, dummodò hic fraudis per eandem commissâ conscius haud fuerit. Eò enim ipso, dum alteri sigillum atque nomen suum tradidit, non planè nihil egisse, sed totam potius voluntatem suam ei commisissé, generaliterque mandasse censetur, sibi sanè suæque facilitati ac imprudentiæ imputaturus, quod dederit. Et citra hoc profectò nihil cum ejusmodi internunciis tutò agi posset, nec facilior prætextus foret, omnia ita conclusa subvertendi, inanibusque aliis illudendi tractatibus,

## XXI.

Præter literas fidei assertorias Legatis, præsertim pacificationis gratiâ missis, ut eò securius proficiisci queant; Literæ salvi Commeatus Pass. Porten conceduntur, vel ab eo, ad quem mittuntur, vel ab iis, quorum terra transire debent. Quas proinde & hue referre nulli dubitamus. Concipi verò Legatorum characteri conformiter debent. Promittitur illis securitas, cum comitatu rebusque non solum ad locum destinatum veniendi, ibique morandi, sed &, si forte prospéro eventu caruerit negotiatio, eadem incolmitate domum revertendi. Evidem inutiles illæ minusque necessariæ quibusdam ideo videntur, quod jam antea ipso Naturali ac Gentium Jure securitas hac Legatis quibuscumque constet, divinôque ac humanô præsidio ita sit munita, ut major aut perfectior obligatio propriâ ejusmodi legationes mittentium ac recipientium conventione reddi nequeat. Ast verò licet præceptum Naturalis ac Gentium juris de non offendendo aut violando Legato in se satis certum sit atque clarum, non tamen antea vim suam illud excusat, quam si quis pro Legato fuerit agnitus, quô nondum factò, facile contingere potest, ut missus v. g. pro pace veniens velut hostis, emissarius aut explorator tractetur; si enim

enim ipse mittens in hostico aut ab hostibus deprehensus detineri potest, cur missum aut mandatarium diverso jure censemus? Deinceps nihil novi est, ut obligatio quædam Juris Naturalis generalior v. gr. *de non ladedendo*, alias in se satis perfecta, per specialiorem conventionem perfectior & efficacior reddatur, & in respectu ad casus humanos praesentes ita modifetur, ut adversus alios specialius jus quoque tribuat, novumque suppeditet atque superaddat medium, quod intercedente aliud deinceps præceptum, de fide inter pacificentes datâ firmiter servandâ, cooperari vimque suam unâ exercere incipit. Ex hisce literis ingens sœpè litium seges subnascitur, cum de verborum apicibus, tenore formularum nominumque honoribus, ad superstitionem sœpius usque contenditur, atque insidiæ vel inde metuuntur vel finguntur. Exemplo sit unicum Pacis Westphalicæ negotium, ubi funesta hæc de verbis disceptandi mora in octo ferè annos tracta fuit, durante interim bello atrocissimo, ut quantus ad excitandum odia ac devastationem ardor, tantus ad sopiaendum & pacandum veteranus apparuerit. Hic itaque partes Mediatoris sunt, ita se interponere, ut vel alteri partium causæ iniquitatem, vel alteri rei inutilitatem dextrè demonstret, atque adeo vel ille injusticiæ convictus, vel hic de rei inanitate persuasus cedant, ille jure, hic pacis amore.

## XXII.

Supra quidem Ministros, atque Officiales Principis, intimæ præsertim qui sunt admissionis, etiam pro subiecto in hac materiâ habili agnovimus, sed tamen non aliter, quam si vices suas secundum præpositionis sue legem obuant, & non nisi ex mandato, jussu, ratihabitione vel præcedaneâ scientiâ Principis, de rebus statum immediate resipici-

D

spicientibus ad alios scribant, adeoque nihil arcanorum, quorum participes sunt facti, intempestive per literas revelent. Quò majora enim atque graviora sunt, quæ Princeps ipsis pandit atque communicat, eò exuberantior silentii fides ab ipsis exigitur, eoque atrocius crimen talia hosti præsertim revelando committunt, meritò pro re natâ ultimo etiam supplicio & in specie læsæ Majestatis pœnâ luendum, modò tunc sese exserat *dolus revelantis*, & revelatio fuerit facta in *damnum contumeliamve domini*. *Dolus* quidem idèò, quia juxta generale principium nullum verum delictum sine dolo atque proposito commissum censetur, & ut excludatur revelatio *culposa*; quamvis enim culpa dolo aliquando comparetur, comparatio tamen illa in delictis, mortem maximè secum trahentibus, locum non habet, per consequens etiam in casu dolosa & culposa revelationis non una eademque obtinebit pœna, licet nec hanc planè impunitam manere, sed pro arbitrio Principis, prout nim. culpa gravior leviore fuit, coercerias sit. *Damnum* verò Principis Ministrum secreta per literas ita propalando vel saltem intendisse, sat est, etsi non fuerit sequutum, cum malitia, quantum in ipso est, jam penitus sit consummata, eventus autem non existat in ejus potestate, & hinc quoque commodo ipsi esse nequeat. Facile itaque jam judicare simul & ominari licet de praxi non nullorum Aulicorum, qui, tametsi inter Statûs Consiliarios ab uno Principe recepti, tamen pensionibus clandestinis ab extero allecti, corruptionis periculo fidem suam adèò exponunt, ut omnia Statûs arcana prodere non erubescant. Quod verò de Officialibus, quos vocant, *Civilibus* dictum, itidem quoque de *Bellicis* est intelligendum, nam si ullos, sanè hos quoque, ceu Militiæ suæ atque potentiae

tentiae antesignanos, ut silentes habeat Princeps, quam sedulo ei curandum est atque providendum. Hinc gravissimè capropter punitorum exemplis abundat Anglia, Gallia, Hispania, ipsaque Germania.

## XXIII.

Cum porrò superius jam, ut cura circa Statū literas adhibeat summa, suas erimus, quilibet videt, *Subscriptionem* à scribente vel mittente talem epistolam minimè omitti posse vel debere, nisi omnem omnino fidem quis ipsem et eidem adimere velit. Cepit autem ritus hic subscriptiōndi unā cum epistolarum usu, fuitque ut cætera alia, pro temporum varietate varius. Quænam in primis apud Germanos quovis seculo subscribendi fuerit ratio & habitudo, inquisitio quidem foret uti admodum curiosa, ita & ab hoc loco non adeò aliena; cum tamen ante nos summâ cum curâ hoc egerint post Mabillonum B. Hertius & Dn. Heineccius ille in absolutiss. de *Fide diplomat. Germ. Disp.* hic vero in doctiss. de *Sigill. veter. Tract.* satius erit, B. L. eò remisisse. Sicut verò nihil frequentius est, quam ut Principes literas ejusmodi non ipsi met conscribant, sed illas à Consiliariorū vel Secretariorū aliquo conscribi patientur; ita ob exempla benè multa satisque tristia ex omni historiâ nota, & ne falsariis audacter multa, multa quoquè insidiosè faciendi ansa præbeat, non solum summe consultum est, ut antequam subscriptio fiat, scripta perlegantur, nec vulgare Jctorum scitum: *Quod quis per alium &c.* hic locum obtineat, sed & ut ipsi met Principales propriâ manu subscribant, valdè necessarium est; quamvis illud non semper observari, quotidiana doceat experientia, prætereaque scribendi imperitia quandoquè per se manifestam

D 2

fa-

faciat exceptionem. Cùmque eam ob causam nomina introducta sint, ut homines iis significantur, nominis subscriptio & hisce in literis hoc magis pro formâ respicitur. An verò *prænomen*, *nomen ipsum*, *cognomen vel agnomen* distinctè ita adnotanda sint? inter Principes est quæstio inanis. Quod verò *nomen dignitatis* s. *Statutus* attinet, illud omnino exprimendum est, quia alias ex *prænomine* solò de personâ scribentis non satis constaret; ubi tamen sufficit, etiamsi non expressis verbis, sed signo aliquo *Zugsweis*/ fiat, modò illud literas initiales vel totum nomen contineat. *Ubinam* vel *Undenam* scribantur? nihil interest, plerumque verò ex metropoli dantur. Cæterum subnotationem *temporis* s. *anni & diei* ex iis esse, quæ uti in omni epistolâ, ita hic in primis turò abesse haud possunt, nemo negabit, nisi forsitan summæ laudem negligentia incurrere velit.

## XXIV.

*Sigillationis* denique sive *figurationis* necessitatem multis demonstremus, hoc minus necessarium esse putamus, quò graviora sunt, quæ in hisce literis tractantur, & quò magis mittentis interest, ne in cuiusvis notitiam ea perveniant. Quò verò omnis fraudis, à quâ nec sigilla sunt immunia, suspicio cadat, receptum est, ut signatura sigillo proprio, solito atque incorrupto fiat. Ubi simul quoque tūm ad *formam*, tūm ad *materiam* respiciendum. Ratione *formæ* sive *figuræ* adhibetur aliquando *magnum*, aliquando *parvum* *figillum*, *magnum* *Authenticum*, *parvum* sive *Secretum* appellatum. Hinc in plerisque regnis distincta magni & parvi sigilli custodia, illudque hoc magis *splendidum*. Ratione *materiae* recepta est *cera*, eaqué divers-

diversicolor. Quò pertinent, quæ per singula secula de moribus sigillandi nationum Christianarum annotarunt in incomparabili *de Re Diplomat.* Libr. Mabillonius, & Thulemarius in eleganti *de Bullis libello.*

## XXV.

Cæterum satis constat, in sigillis, quibus ejusmodi literæ signantur, & vi quorum alii, quæ ita sunt scripta, rescire impediuntur, *in signia, die Wappen,* ut plurimum exprimi atque exhiberi solere, eaque varia, tūm *Dignitatis,* intuitu nim. certi cuiusdam munericis five dignitatis, Ecclesiasticæ vel politicæ, competentia, tūm *Domanij,* five intuitu terræ cuiusdam, vel prætentæ vel possessæ, Regni, Principatiis, Comitatiis, Dynastia &c. gerisuta, tūm *Familia,* five familiis citra dictos respectus variis ex causis, pricipue verò ad denotandam discernendamque ab aliis gentem, tributa. Sicuti verò hæc Insignia communiter per *tesseras seu signa virtutum atque honorum Symbolica, sub involucro variarum tinturarum atque figurarum,* ex voluntate concedentis, eis, quibus competit, *singulare aliquod jus, ornamentum, vel etiam criterium elargientia,* describuntur; Ita per se patet, non ex propriâ cuiusvis prudentiâ assumi illa, sed per res præclarè gestas demum acquiri debere, in quò famosissimi omnes Heraldici, quos inter merito B. Phil. Jac. Spenerus & Claud. Francisc. Menetrier primo loco sunt nominandi, uno ore consentiunt.

Equidem circa assignandas unialterive gentium origines Insignium aliás valde occupantur, qui de ipsis ex instituto tractant, quò pertinent, quæ præter jam allegatos duumvirois alii quoquè scriptores gravissimi, in primis Thom. Philipot. in *in signi de Orig. & progreß. Insign.* libro,

D 3

it. Phu-

it. Philibert. Monetus de *Orig. & Prax. Insign.* Theodor. Höping. de *Jur. Insign. &c.* satis fusè tradiderunt, quorum tamen omnium sententias examinare jam hoc minus in nos suscipimus, quoniam in vastum istum opinionum oceanum excurrere, ad minimum hoc loco, nimis prolixum foret. Interim quantum nobis videtur, ferè persuasi sumus, diversitatem illam atque divortia, nec non confusionem sententiarum non aliunde provenire, quam quod in investigatione istâ communiter ad Insignium proprietates atque naturam non adeò accuratè attendant. Namque illud quidem nemo facilè negaverit, à primâ statim mundi origine etiam propter usus politicos arbitraria quadam signa, notas atque symbola homines adhibuisse, quos inter primis Ägyptii, quippe tantum non omnia hieroglyphicorum & iraginatum involucro tegentes, inclaruerunt. Porrò in eô quoquè omnes convenient, quod mos adhibendi certa Insignia ex militiâ cœperit, suffragante etiam in vernaculis quibusquè linguis voce : *Arma* : à militiâ verò ad reliqua postea hominum genera fluxerit, & in variis alias occasioneis atque merita fese diffuderit ; quô nomine, nec Romanis, nec omni alii, vel ante vel prater Romanos, antiquitat Symbolorum, quæ signa & insignia dicimus, usum tutò denegare possumus, quippe quibus nec exercitus sine aquilis, Draconibus, vexillis (muta signa Vegetio l. 3. cap. 5. ad distinctionem vocalium & semivocalium) neque ferè Heroës apud Poëtas sine elypeorum imaginibus, neque signatoria gemmæ sine cælaturâ, nequè plerchè urbes absquè symbolis. Quò pertinet etiam, quod suo jam ævo de Germanis retulit Tacitus in eleg. de Mor. Germ. libell. cap. 6. ibi : *nulla cultus jactatio : scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt.* Verùm enimv. de his in gene-

re

re idem, quod de cæteris gentibus dicendum, nim. militaria istiusmodi signa simplicia tantum fortitudinis symbola & quasi proplasmata modernorum Insignium, e coloribus, lineis, raro imaginibus præcipue vero animalium simulacris, constantia fuisse. Verius itaque illi, qui Insignia, prout nunc sunt, non semel & simul coepisse, sed, qua consuetudinum ratio esse solet, insensibili quasi introductione, per usum posteriorum temporum confirmatam auctoritatem acquisivisse autem, in primis vero Germanis nostris eorum, ceu rei satis quidem antiquæ, incrementa, susceptionem, promotionem atque culturam acceptum ferunt tribuuntque.

Etenim hisce scuta erant tabulae variis coloribus factæ, ex quô sine dubio ortæ sunt figuræ, quas in Arte Heraldicâ dicimus *Honorarias*, Galli *les pieces propres & honorables*, Germ. *Visir-Wilder / Ehren-Wilder / Ehren-Stücke* appellant, non quidem simpliciter, & quasi aestimatione politicâ honorem cæteris præripiant, sed quod aestimatione technicâ, cumprimis propter simplicitatem, antiquitatis notam, ab Artis Heraldicæ peritis singulare in pretio habentur, veluti sunt caput scutarium, Gall. *chef*, Germ. *Schildes-Haupt / fasciæ*, Gall. *fascæ*, Germ. *Band / Querbalcke / bâltheus*, Gall. *bande sive barre*, prout nim. tertiam & quidem medianam scuti partem ductu obliquo à dextris sive sinistris occupat, Germ. *rechts / oder links Schreg*, *Balcken / palus*, Gall. *Pal*, Germ. *Pfahl / cantherius*, Gall. *chevron*, Germ. *Spangen / Crux*, Gall. *Croix*, Germ. *ein gemeines quartiertes viererfigiges Kreuz* (ad differentiam Crucis decussatae s. Andreanæ) *fimbria*, Gall. *bordure*, Germ. *die äußere Einfassung / peribolum*, Gall. *orle*, Germ. *die innere Einfassung / des Schildes Saum / atque*

que aliae non adeò frequentes figuræ. Quæ adhuc hodiè sèpius scuta distinguunt, & generale fere criterium antiquitatis familiae suppeditant, **dann je simpler ein Wappen ist / je älter scheint es auch.** Sanè unde varia istæ scutorum partitiones, i.e. ipsissimæ, quas honorarias appellamus, figuræ, quæm ex hac jam ab antiquo usitatâ colorum mixturâ? Ast verò initio statim ejusmodi insignia apud Germanos nondum fuisse hæreditaria aut perpetua, sed arbitraria tantum, quæ & servis Domini gestanda tribuerunt, & toties, quoties ipsis volupe visum, mutarunt; imò nec liberos paternis semper, nec fratres iisdem usos tanquam familiae propriis, certum est. **Quoniam itaque tempore hoc fuerit factum, certisque legibus adstricta atque circumscripta Insignia?** in eō iterum non conveniunt. Henr. Spelmann. *Aphilog. p. 34.* & asseclæ id ævo *Caroli M.* & occasione bellorum ab ipso gestorum, ut nim. essent discernicula tot populorum & copiarum, invaluable putant: Alii ab *Henrico Aucupe Sec. X.* una cum *Ludis Equestribus, den Turnier-Spielen* / ab eodem si non institutis, ramen restauratis atque renovatis, Sec. verò XI. demùm instructioribus redditis, (vid. *Celeberr. Praceptor quondam noster Dn. Gundling.* in exasciato de *Henr. Aucupe Tract. §. 21. p. 133. seqq.*) originem deducunt: Aliis & quidem magni in hac Arte nominis Viris illorum arsis opinio, qui *Seculo demum XII.* & temporibus Expeditionum Christianarum, adversus infideles suscepserunt, (ubi singuli populi, singulive Reges, Principes ac Nobiles, cupientes invicem internosci, scuta prætulerunt & vexilla signata Symbolis) non solum usum Insignium constantem in familiis increbuisse, sed & artem Heraldicam ad

ad certam præceptorum normam fuisse excultam, referunt. Nobis, si etiam aliquid dicere convenit, tres hæc diversæ sententiaæ, modò explicatio adhibeatur commoda, & insignia *Dignitatis*, ejusque *Politicæ* & *Ecclesiasticæ*, *Gentilitia*, atque, uti Artis hujus periti loqui amant, *Domania* probè à se invicem distinguantur, omnes subsistere posse videntur atquè defendi.

## XXVI.

Ultimo loco sicut omnium omnino, vel privatarum saltem, ita quam maximè, de quibus haçtenus egimus, Statut literarum liber sit commensus necesse est, hinc quoque à nemine privatorum, nisi quis apertissimo etiam vitæ pericolo (nam quin pro ratione temporis aut circumstantiarum ultimum obtineat supplicium, nullum est dubium) se se exponere velit, intercipi vel aperiri debent. Si tamen de iis, qui summam habent potestatem, sermo est, distinguitur inter literas *hostium*, & *eorum*, qui actæ non hostes, sed ambiguæ conditionis sunt. De illis ambigendum non est, quin reserari queant ex jure belli, ob connexionem finis, qui profectò obtineri non posset, si hostium literas, quibus occultæ sàpius machinationes strui consueverunt, legere aut aperire non licet, id quod infinitis gentes inter usitatis exemplis plenum fieri potest. De his vero, qui hostes non sunt, difficilior est controversia, non semel inter Principes agita ta. Notâ quippe notior est ex Sec. XVI. historia Philippi Hassiae Landgravii, Henrici, Brunsicensis Ducis, Scribam, ad Albertum, Archiepiscopum Moguntinum & Matthiam Heldum cum literis missum, intercipientis, ac instructio nes ipsi datas resignantis. Quô ipso Brunsicensis Jus

E

Gen.

Gent. violatum publicè tamdiù est questus, donec in aper-  
tum bellum res desineret. Discepcionis momenta plenā  
manu congesit Hortleder von Ursachen des Deutschen  
Kriegs / L. IV. c. 2. 3. 4. 5. add. Strauch. Controvers. Il-  
lustr. XII. Sicut verò iste casus varias ob circumstantias  
regularē decisionem haut recipit, ita probè attendendum  
putamus : *Num nunc ejusmodi literas ferentes sub fide pu-  
blicā transēant, nec ne?* Deinceps an ille, qui mittit, vel  
ad quem mittuntur literæ, ita suspectus sit, ut jure à nobis  
metui possit? Expeditor quæstio est, si literæ à neutris qui-  
dem partibus addiēto, sed tamen ad hostem transpor-  
tentur. Nam & literæ illa inter referri possunt, qui-  
bus hostis juvatur.

SOLI DEO GLORIA.

Cæterū B. L. pro errato reputabít pag. 6. lin. 9. vocabulum: *am-  
icitiam*, ideoqué substituet ejus loco: *fratitiam*, item quod pag. 7.  
*infir.* ex Lundorp. allegatum, nam verus locus est *Tom. II. Lib.  
I. Tr. 4. cap. II.*

I.

**L**itera scripta manet; vox est audentior illâ,  
Transvolans { *auras,* } & sine teste manens,  
Felix, nec scriptis, simul & nec vocibus, ullus  
Error, quem pungens, arguit intra animum.

Nobilissimo Dno Authori hujus Dissertationis,  
Affini extumissimo, gratulabundus applaudit  
cum voto salutis omnigenæ,

D. JOH. CUNRADUS KLEMM, Eccles. Pastor.

II. LITE-

II.

LITERULAS STATUS dum nunc solenniter ornas,  
Profectus monstras robur & ingenij.  
TE, precor, ex animo, ter docta TERGEMINÆQUE  
MUSÆ felicem tergeminum faciant.

Doctissimo Dn. Respondenti, Auditori ac Commensali  
suo astutissimo, de felicitate & in Universitate  
hac NICRINA, ubi capit & absolvit, & in JE-  
NENSI & HALLENSI, ubi medium tenuit cursum,  
emensò Studiorum suorum studio ita gratulatur  
PRÆSES.

III.

Littra scripta manet ; Sic gloria parta labore  
Tantò, tam sanctò, nescia finis erit.  
Alma cuiq[ue] Themis tribuit sua præmia justè,  
Hinc capias studiò munera digna Tuò.

Literatissima Dno. Candidato Resp. de Literis Statu  
egregiè differenti, m. inquit applaudit, simulque  
iter ad Exteros paranti proprios Viales, & faulta  
quaque exanimè precatur

JACOBUS DAVIDES MOEGLING, II. J. D.  
& Prof. Extr. atque Suprem. Dicaferii Assessor.

IV.

PERge Tuis meritis sic inclarescere; perge  
HELFRICHI, Themidis delicium atque decus!  
Quanta Tibi constet de Jure Scientia, constat.  
Nunc precor, ut constet, quanta brabea feras.

JOH. ULR. Frenmann / S. S. Th. D. & P. P.  
gr. a.

V.

## V.

**S**o endet / wehrter Freund / sich deiner Studien Läuff ?  
 So geht / was Tübingen und Jena auffgeführt /  
 Was Halle weiter noch viel schöner ausgezieren /  
 In uns'rem Tübingen in vollem Wachsthum auff ?  
 Die Ehre und die Lieb' steh'n jetzt an Deiner Seiten /  
 Und werden Deinem Fleiß was würdiges bereiten.

Also wünschet seinem getiebenen Freunde und Gönner zu glücklich  
gedenkigsten academicischen Studien und weiterem Vergnügen

mit aufrichtigster Feder Glück

**F**riderich Adam Jenck / Licentiat und Hochfürstl.  
Würtemb. Hofgerichts Advocat.

## VI.

**L**itera dicta perit ; manet , ajunt , litera scripta :  
 Et scriptam & dictam credo manere Tuam.

Doctiss. Dno. Helfrichio literatissime de literis dis-  
sertanti pleno votorum animo applaudit

*Ipsius Cultor strenuus*

**M. JOHANNES ZELLER**, Illustr. Stip. Repetens.

## VII.

**L**itera Scripta manet , manet & Te laudibus amplis  
Macrāns. Inde Tibi gaudia stent solida !

Amico suo optimo hæc paucula scribebat

**M. F. GRASS**, Jur. Stud.

## VIII.

**D**u Dein beredter Mund / Gelehrter Helfrich / zeigt /  
 Dich habe Pallas selbst an ihrer Brust gefängt ;  
 Flicht Themis Lorber - Crantz / und Venus windet Myrten /  
 Und jede will damit Dein Haupt zu erst umgütern .

Dem Hn. Licentiaten / Seinem Hochsäugaren Gönner / zu  
Ehren bengestzt von dessen verbundensem Diener

**M. HOCK**




Tübingen, Diss., 17.14/16



5b.





B.I.G.

Black

# AUSPICII LOCO

*Summos in Utroque Jure*

DOCTORIS Honores ac Privilegia prensans,  
Theses Selectiores ex materiâ

D E

# LITERIS STATUS

Von

**S Staats-Brieffen/**

Ipsô Triunô Aufsice,

Consentiente ac permittente

*Magnifico atq; per-incluto in Illustrissimâ*

EBERHARDINA JCTORUM ORDINE,

PRÆSIDE atque actum dirigente

*VIRO Prænobilissimo, Amplissimo, Consultissimo  
& Excellentissimo,*

**DN. MICHAELE GRASSO, U.J.D. &**

Professore dudum Famigeratissimo, Sereniss.

Würtemb. Ducus Consiliario Gravissimo,

*Dn. Patrono, Præceptore, Promotore atq; Hospite suo,  
ob summa in se suaq; studia collata merita summe  
sancteque per etatem colendo,*

Publicè disputandas proponit

**JOHANNES JACOBUS Helfferich/ Göppingensis,**

Ad diem Maij, Ann. MDCCXIV.

TUBINGÆ,

Exscribantur Literis SIGMUNDIANIS.

